

Matthias Stein

Ad Sacrum Funerale; Qvod Conjugi ... Wendulæ Knesebecken/ Vir ... Dn. Joh. Joach. Tielcke/ J.U.D. ... hodie Ritu Christiano atqve Solenni paratum voluit, Cives Academicos ... invitat : [P.P. Sub Sigillo Rectorali Academico, d. 28. Febr. Ao. MDCCXVI.]


Rostochii: Wepplingius, [1716]


<http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn76668315X>

Druck Freier  Zugang



Stein, M.,
in W. Knesebeck,
uxor. J. J. Tielcke.
R. 1716.





109.

87.

AD
SACRUM FUNERALE;

QVOD

Conjugi nuper suæ dulcissimæ,
nunc desideratissimæ,

*Præ-Nobilissimæ ac omnium virtutum
muliebrium decore maxime conspicuæ*

MATRONÆ,

WENDULÆ

Snesebecken/

*VIR Præ-Nobiliss. Consultiss. Ampliss. ac
Prudentiss. Dominus,*

DN. JOH. JOACH. Zieselcke/

J. U. D. Famigeratissimus, & Patriæ Civitatis Consul
Gravissimus optimeque Meritis
hodie

Ritu Christiano atqve **Soleni**
paratum voluit,

Cives Academicos Honoratissimos

officiose invitat.

MATTHIAS SECKN/ J. U. D. P. P.
ad h. a. PRO-RECTOR.

R O S T O C H I I,

Typis JOH. WEPPLINGI, SER.PRINC.& ACAD. Typogr.





Immortalitatem mortales frustra sibi promittere aut expectare, & Scripturæ divinitus revelatæ Codex, & experientia quotidiana, locupletissima omnium testis, testantur plus satis superque. Nullam meretur fidem, cum, per naturalia remedia ad immor-

talitatem usque produci vitam mortalium posse, asseruit Theophrastus Paracelsus. Nec audiendus est J. Asgill, Anglus, qui, hominem regenerationis ac renovationis gratiâ donatum, si verâ fide Christi, seu triumphatoris de morte, sanctissimas vitæ promissiones hæc tenuerit, vivum, sine antegressâ morte temporali, in æternam transferri vitam posse, defendere suscepit. Etenim, si medicamenta immortalitatem præstare valerent, ecurr non Paracelsus, Medicus ipse, suâ ipsius in personâ experimentum nobis dedit, propriâ vitâ saltem ad hoc nostrum usque tempus prolongatâ? Et si nec fideles in Scripturâ laudati, quorum de regeneratione atque renovatione dubitare nefas sit, immortalitatem corporis assequuti sunt, aut vivi ad cœlestia gaudia eVecti, quâ eam sibi polliceri hodierni sanctuli queunt? aut quo jure eam propugnare hominibusque persuadere nituntur? Nonne equidem inficias ire aulisim, si perstitissemus in eo, quo in conditi erant primi parentes nostri, integritatis statu, aliquando, cum DEO visum, homines, non interveniente morte, è vitâ in vitam, è mundo in cœlum, è viâ in patriam

24

am transferendos fuisse, Verum enim verò, no-
vimus non minus, per peccatum mortem in mun-
dum introisse ac ad omnes pervasisse homines, qui-
bus adeò mori constitutum est. Nec obstat mors
regenerationis gratiæ, etiamsi peccati sit stipendi-
um. Credentibus namqve mors non est mors, sed
janua introitum è morte in vitam pandens,
ingressus è laboribus in requiem. Cumque nulla
sit condemnatio his, qui in Christo JESU sunt, non
erit mors metuenda illis, qui Salvatori suo verâ
vivâqve fide adhærent. Exspectant potius vi-
vendi finem, mortem anhelant, atqve cum Paulo
cupiunt dissolvi. Et ea mens fuit, dum viveret,
cujus exuvias, in dormitorium suum ritu christiano
splendidoqve deportandas, hodie comitaturi su-
mus, Matronæ Prænobilissimæ omniumqve mu-
liebrium virtutum ornamento maximè conspicuæ,
WENDULÆ KNESEBECKIÆ, quæ ut nove-
rat, non datum sibi privilegium exemptionis à
morte; ita nec mortem formidabat temporalem,
ab æterna se per Christum redemptam, ex Spiritus
S. testimonio certa fideqve immota credens. Me-
rita est illa, si quæ alia, cujus vitæ cursum, non
tam ut consuetudinis observantes simus, quam
quia & verarum virtutum ipsa, & diversorum in
vitâ humanâ casuum, & mortalitatis tandem hu-
manæ exemplum nobis esse potest, heic delineemus.

Quodsi ergo in ortum Beatæ Nostræ inquirimus,
deprehendimus eum planè felicissimum. Quan-
tumvis enim, quæ in Parentibus bona sunt, non
semper velut per traducem ad natos propagentur;
hi tamen ab illis non sanguinis solum nobilitatem,

sed & virtutum sæpè semina accipiunt in se deriva-
ta, ceu præstantissimam omnium hæreditatem.
De utroque hoc gratulari sibi ac gloriari potuit pie
Defuncta, à Parentibus honestissimis pariter atque
honoratis prognata, præcipuis hinc urbis nostræ
familiis sanguine & affinitate juncta. *Patrem* habuit
Virum Nobilissimum, Amplissimum ac Prudentis-
simum, DN. CHRISTIANUM Rnesebeck / Senato-
rem atque Camerarium civitatis nostræ primum,
qvem de patria per duos ultra qvatuor decennia
annos, nam inde ab anno superioris seculi 63, in
Senatum cooptatus, & ab anno 81, Camerarius ci-
vitatatis lectus fuerat, præclarissimè meritum, octo-
ginta duorum, & qvi superant tres menses, anno-
rum Senem, Anno 1704. hinc discedere recorda-
mur. Per hunc Nostra *Avum* nacta fuerat Præ-
stantissimum Eximiumque Virum, HENRICUM
Rnesebeck / Civem Rostochii Primarium atque Ne-
gotiatorem florentissimum: *Aviam* verò pietate,
ceterisque virtutibus exornatissimam, ELISABE-
THAM Prüssen. Inde *Proavi* Nostræ, & *superiori*
qvidem in Linea, Vir Nobiliss. atque Ampliss.
PETRUS Rnesebeck / Serenissimi Principis ac Domi-
ni, DN. ADOLPHI FRIDERICI, Ducis Meck-
lenb. gl. mem. Præfectus Dobberanensis gravissi-
mus, cujus uxor Nostræque Beatæ *Proavia*, Fœmi-
na singularium virtutum, SARA Barnowen / Fi-
lia ipsa Præstantissimi Viri, JASPER Barnowen/
fulgidissimi primariique inter Rostochiensēs Civis,
ac Honestissimæ Fœminæ, AGNETÆ Nettel-
bladt's. In Lineâ verò *inferiori*, Vir integerrimus
Spectatissimusque, NICOLAUS Prüssen / Civis
Prima.

Primarius ac Zythopepta Rostochiensis; & ab hoc
Proavia, SARA Hundertmarck/ Fœmina pia pro-
 baqve. Succurrit itidem *Abavus* Defunctæ Pater-
 nus, Vir Honestissimus, HENRICUS Kneesebeck/
 Warenæ, oppidum est Ducatus hujus non ignobile;
 Civis è numero primorum. *Matrem* verò ample-
 xa fuit piè demortua nostra, singulare, qvoad spi-
 ritum traxit, matronalium virtutum exemplum.,
 Nobilissimam MARGARETHAM Sebesen/qvam
 post triginta duorum annorum conjugium Martius
 mensis Anni 1681. mortalitati subtraxit. Per hanc
Avum fortita Nostra erat Virum Nobiliss. Pruden-
 tiss. atqve Perstrenuum, DN. ZACHARIAM Se-
 bes/ qvi & prudentia & armis rebus Rostochien-
 sium consuluit, Senatorem pariter atqve Centurio-
 nem, qvem Capitaneum dicimus, agens. Adsci-
 verat is sibi vitæ thoriqve sociam, Fœminam le-
 ctissimam multaqve virtute corruscantem, WEN-
 DULAM Bedigen/ qvam suæ neptis *Aviam* fecit.
 Illius autem *Proavos* qvoad spectat, accepimus, *prio-
 ris* Lineæ fuisse Virum Spectatissimum ac Honestis-
 simum, JOHANNEM Sebes/ Civem atqve Mer-
 catorem Cellerteldensem florentissimum, qvi *Proa-
 viam* Nostræ dederat Pietati ceterisque virtutibus
 deditissimam, MARGARETHAM Tholen. *Pa-
 sterioris* autem lineæ *Proavus* exstitit Nobilissimus
 quondam & Prudentissimus Dn. JOACHIMUS Be-
 digen/ Senator hujus Civitatis meritissimus: *Pro-
 avia* verò, illius Conjux, virtutum muliebrium
 splendore præfulgida Fœmina, WENDULA Net-
 telbladts. Inde, si altius ascendere placet, Beatæ
 nostræ alter *Abavus*, & quidem per *Proavum* po-
 stero-

steriorem, fuit Præstantissimus Vir, JOACHIMUS
Medigen/ Civis Spectatissimus atque Negotiator,
felicissimus hujus loci, & *Abavia*, Honestissima
Matrona, ELISABETHA *Bolten*. Alter autem
Abavus, per Proaviam posteriorem, Nobiliss Pruden-
tiss. ac Ampliss. DN. HERMANNUS *Nettel-*
bladt/ & ipse Senator Rostochiensis laudatissimus;
atque *Abavia*, sexus sui quondam ornamentum,
TILSA WITTINGS. Hæcce profapia fuit Bea-
tæ nunc WENDULÆ KNESEBECKIÆ, editæ
in hanc lucem Ann. MDCLIX. d. 20. mensis O-
ctobris. Ab egregiis Parentibus nasci, fortunæ
est: veræ autem felicitatis, ex DEO renasci. Istud
ornamentum in mundo affert: hoc confert jus
adipiscendi hæreditatem cœlestem. Cujus non igna-
ri probi Defunctæ Parentes, illicò curabant,
ut, quæ de carne caro nata erat, renascere-
tur ex aqva & Spiritu, filiulam hanc suam Cœ-
lesti Patri adoptandam offerentes, Quod licet
maximum esset, unde verum ipsi decus & post
hanc quoque vitam perpetuò duratura salus oriri
pöterat; haud tamen inficias eundum est, omnem
etiam abs Parentibus ipsius impensam esse curam,
ut talem educaretur in modum, quò & orna-
mento suæ familiæ, & aliis commodo esse, verbo:
cunctis ut placere bonis posset. Ita nil quid-
quam erat sexum illum decentium virtutum, ad
quod non providâ Parentum curâ manuduceretur.
Errant, me quidem iudice, quibus persuasum est,
minus curarum, quam virilis, sceminei sexus edu-
cationi adhiberi posse. Utrinque sanè accuratio-
ris educationis eædem causæ sunt atque rationes,
etiamsi

etiãsi masculi ceteroquin publicæ rei magis sint
profuturi. In fœminis quantum valeat quamque
profit educatio recta, quemlibet dubitantem ipsa
docere experientia potest. Ac si non aliud, certè
in beatè Defunctâ nostrâ clarissimum ejus certissi-
mumq; exemplum haberemus, quippe quæ conse-
quuta inde fuerat, ut prudentiæ, probitatis ac ho-
nestatis omnis laus eam viventem maneret, sitque
& mortuam inter posteros olim mansura.
Tanto autem virtutum cumulo exornatâ cum esset
ac præ multis sui sexus aliis effulgeret, non solum
omnium, ex verò virtutem æstimantium, in semet
oculos convertebat, sed & qui ejus nuptias ambi-
rent, procos vel primâ in juventute inveniebat.
Exambiit autem præ ceteris eam, decimum septimum
tunc ætatis annum agentem, erat ille à Salvatore nato
millesimus sexcentesimus septuagesimus quintus,
Vir quondam Præstantissimus Spectatissimusque,
DN. PETRUS Stoltz / Civis hujus loci primarius
ac Negotiator florentissimus, uti & ædis Divæ
Virgini sacre Curator sive Antistes fidelissimus. Vi-
xit cum eo Beata in conjugio ut fortunato, sic pacâ-
to atque tranquillo, ut una mens utriusque, una vo-
luntas videretur. Et sicuti in ceteris felicissimum
prædicandum hocce conjugium erat; ita fœcundi-
tate ceteras felicitates augebat, eoque magis ipsum,
quo plus solidi gaudii exinde ipsi Beatæ temporis
successu enatum fuit, quando non solum octo ex
se procreatorum liberorum Mater exstitit; sed &
septendecim nepotes Avia, tresque pronepotes
Proavia amplexa fuit. Peperit namque priori illi
suo marito utriusque sexus infantes pari numero,
qua

quatuor nempe Filios, Filiasque totidem. Filio-
rum tres, in ordine quidem primus duoque postre-
mi, erant ipsis nomina, CHRISTIANI JO-
HANNIS, JOHANNIS HENRICI, & CASPA-
RIS HENRICI, ipsâ in infantia cælo, à quò da-
ti erant, redditi sunt. Solus superest, per DEI gra-
tiam, Vir Spectatissimus atque Eximius, Dn.
CHRISTIANUS RUDOLPHUS *Stoltz* / Pri-
marius apud nos Civis, Mercator Præstantissimus,
nec non primarii templi Mariani Præfectus dexter-
rimus, qui Anno hujus seculi V. in matrimoni-
um duxit Nobilissimam tunc Virginem, ELISA-
BETHAM *Förstern* / Filiam natu minimam Vi-
ri Beati, Dn. WILHELMI FORSTERI, pri-
mum quidem Rostochii, ultimum Lubecæ, utrin-
que Amplissimi Senatus Pharmacopæi expertissimi
probatissimique, ex MARGARETHA *Nettsen-*
blads progenitam. Quo matrimonio intervenien-
te Avia facta est in DEO Defuncta trium nepotum:
PETRI, CHRISTIANI RUDOLPHI, & JO-
HANNIS HENRICI, junctâ nepte unâ, CA-
THARINA ELISABETHA, quam præmissam
inter cœlestia gaudia nunc iterum amplectitur.
Filix verò, quas enixa fuit, hoc ordine sequuntur.
Prima fuit, admodum olim conspicuum sexus mu-
liebris decus, virtutibus ornatissima MARGARE-
THA ELISABETHA, quam elocatum Anno
1694. optima Genitrix vidit Viro Generoso
fuisque Titulis Fulgidissimo, Dn. DIETERI-
CO SAMUELI *Bulffraht* / Serenissimi Du-
cis Mecklenburgici Regnantis Consiliario Aulico,
sed elapso abinde sexennio novem mensium spa-
tio

tio, nimirum Anno 1701, mensis Junii d. 13. & sibi, & marito, & mundo præmaturâ morte ereptam doluit. Reliquerat tamen ea, quod dolori aliquid afferre lenimenti poterat, quinque videlicet eximia planè conjugalis amoris pignora, quibus, ut charissimo Marito Patris; ita dulcissimæ Matri suæ Aviæ jam conciliaverat nomen, ita ut hæc postea temporis quoque abinde descendentes osculata fuerit pronepotes. Etenim Mater facta fuerat Filia illa piè Defunctæ, MARGARETHA ELISABETHA WULFFRATHIA, egregii Filiarum, non sanguine modo, sed propriarum præcipuè virtutum decore Nobilissimarum, paris; CATHARINÆ MARGARETHÆ, Anno 1695 & WENDULÆ An. 1696. in lucem hanc editarum; ut & trium Filiorum, paternarum virtutum æmulatorum optimamque de se omnibus spem præbentium, utpote JACOBI DIETERICI, J. U. hodie Stud. PETRI BERNHARDI, vitæ militari consecrati, & CHRISTOPHORI FRIDERICI, Studiis, quæ vocant, humanioribus deditissimi, quorum ille Anno 1697. iste Anno 1699. hic Anno 1700. mundum ingressi sunt. At non solum ex ipsis illis neptibus suis nepotibusque gaudendi materiam multifariam acceperat Fœmina Beata, sed & lætata fuit, quando laudatas suas neptes Viris dignissimis in matrimonium datas conspexit. Primogenita enim, Virtuossissima CATHARINA MARGARETHA; Anno 1712. nupsit Generoso Dn. NICOLAO à BAUMANN, Nobili Pomerano & Hæreditario in Güssow / prope Stralesundiam. Et per hanc neptem suam Nostra reddita est Proavia trium lectissimorum prone-

B

po.

potum: NICOLAI DIETERICI, JOHANNIS
HENRICI, & JOHANNIS FRIDERICI BAU-
MANNIORUM, quorum verò medius, infans te-
nerrimus, Proaviam ipsam suam exitu ex hac mor-
talitate antevertit. Secundogenita, Ornatissima
WENDULA, haud pridem in matrimonium, d.
10. Octobris superioris Anni sacerdotali benedictio-
ne consummatum, data est Præ Nobilissimo, Con-
sultissimo atque Amplissimo Viro, DN. JOHANNI
CHRISTIANO Petersen / J. U. D. & in hac Alma
Prof. Publ. Celeberrimo, nec non Procuratori Came-
ræ Ducali Dexterrimo, Fautori, Amico & Collegæ
nostro æstumatissimo. *Secunda* Defunctæ nostræ Fi-
lia est, adhuc DEI gratiâ in vivis existens, magnis
dotibus corrusca WENDULA, vitæ thoriq̃e so-
cia Anno 1702. data Viro Nobilissimo & Spectatis-
simo, JOACHIMO CHRISTIANO BAUMANN,
Patricio Sundensi perquam conspicuo, ex quâ ne-
potes sulceperat JOACHIMUM CHRISTIANUM,
& PETRUM RUDOLPHUM, qui verò cœlitibus
jamjam adscriptus; neptemque elegantissimam,
MARIAM DOROTHEAM. *Tertia* in ordine Filia-
rum itidem, quæ Numinis æterni gratia est, vitali
adhuc aura vescitur, Conjux inde à d. 27. Augusti
mensis Anni 1704. existens Viri Nobilissimi, Pru-
dentissimique Dn. BALTHASARIS JOHANNIS
Eggerdes / Civitatis nostræ Proto- notarii optime
promeriti, virtutum muliebrum ornatu nitidissi-
ma ANNA SOPHIA. Per quam Beata non minus
acceperat, à quibus dulci Avix nomine salutaretur,
dum quinque masculini sexus ex illâ procreatos vi-
dit nepotes, nominatim PETRUM JOACHIMUM,
JOHANNEM HENRICUM, PETRUM J. PE-
TRUM

TRUM II. & BALTHASAREM JOHANNEM;
quanquam non sine mœrore pluribus illorum fune-
ra parata viderit, solis hucusque superstitibus JO-
HANNE HENRICO, atque PETRO secundo.
Quarta denique Defunctæ Filia fuit jucundissima
SOPHIA ELISABETHA, quam dudum jam æterni-
tati restitutam, evocante DEO, seqvuta ipsa nunc est.
Ea igitur est Beatissimæ in DEO nostræ originem
suam debens Familia, in qua varias quidem rerum
vicissitudines atque fortunæ inconstantiam expe-
riri eam oportuit, morte spe citius vel liberorum,
vel nepotum, vel pronepotum ex numero unum
alterumve surripiente. Veruntamen non detuerunt,
quæ gaudium vicissim subinde crearent ipsi lætitiã-
que. Ita namque sapientissimi Numinis providen-
tia res nostras moderatur, adversis secunda, secun-
dis adversa temperando, ut ne in adversis animi
mortalium deficiant, in secundis ne efferantur. Ce-
terum, quod animum Defunctæ, alioquin stabilem
obfirmatumque, præ ceteris concutere poterat, e-
rat inopinatus laudati supra mariti, DN. Stolten/
ex hac vitâ excessus, contingens ipsi Anno 1689.
Mensis Maji d. 23. Quem tantò ægrius terebat,,
quantò certior erat de vero sinceroque illius erga
se amore, quem propterea, nisi universalis illa
mortalitatis lex obstaret, nunquam unquam inter-
ruptum voluisset. Quanto enim affectu beatum
Virum prolequuta fuerit, quamque acerbè
tulerit istud divortium, vel ex eo colligere est,
quod, licet procis non deficientibus, in decimum
quintum usque annum viduum maluit premere læ-
tium. Verum enim verò, quemadmodum res no-
stræ nostrâ semper in potestate non sunt, sed ab al-

tiōri virtute; nobis sæpè non opinatis neque sperantibus, diriguntur: ita in matrimoniis contrahendis id sæpenumerò fieri experimur. Experta quoque verè est Fœmina Beata. Constituerat quippe suo potiùs in statu permanere, quam ad secunda transire vota, sæpius recordata triti illius proverbii, quo omnem mutationem dicere periculolam solemus. At verò aliter vultum Supremo Numini erat, quo animos ita disponente, factum est, ut nuptias illius non ambiret solum, sed exambiret etiam Vir Præ-Nobilissimus, Amplissimus, Consultissimus Prudentissimusque, DN. JOHANNES JOACHIMUS TIELCKE, Jctus Consummatissimus ac Civitatis Rostochiensis Consul Gravissimus, de publico bono cum immarcesibili nominis gloria longè meritisissimus. Annuit illius voluntati Beata, ut itaq; adhibitâ Christiano ritu copulatione sacerdotali, contracta sponsalia consummarentur, nuptiarum festo d. 3 Aprilis Anno 1704. solenniter celebrato. Sed neque in hoc secundo, de cetero verè secundo, conjugio ab omni fortunæ lusu casibusque duris immunis vixit. Quanta viguerit hos inter conjuges svavitas, quam purus, fidus atque sincerus amor, ni omnium oculis conspectum fuisset, abunde testari posset, qui animum Vidui Consultissimi nunc affligit, imò excruciat penè enecatq;, mœror. Deprædicat ille, quem testatum ipsi Defuncta quavis occasione fecerat, affectum, quoad usque vixerit amoris integerrimi futurus memor. Dicit alias solet, uxorem, quotiescunq; parit, toties amoris de novo pignora marito dare. Id quidem amoris pignorum genus huic defuisse conjugio, constat: attamen hunc defectum quæ compensarent, in promptu erant alia quam multa, ut verè

rè cum T. Pomp. Attico Dn. Viduus gloriari possit,
se nunquam cum conjuge suâ in gratiam rediisse.
Unde cuilibet conjectu difficile non est, dolorem,
quem ex hoc habitu ille concepit, tantò majorem esse.
Nec credo abs quòquam id ei vitio versum iri, quin
dolendus eò magis nunc ipse sit, dum alterâ jam vice
Viduorum ingredi ordinem habet, conjugique mel-
litissimæ ac æstumatisimæ triste funtus apparat. Ce-
terum, ut ut eo nomine satis sese felicem æstimaret
Beata nostra TIELKENIA, quod abs DEO omnium
Directore dulcissimo beata conjugio esset, in quo ex
voluntate cetera omnia fluebant; haud tamen expers
fuit crucis, quâ fides ejus, patientia atque constantia
probarentur. Scilicet, in adversis demum vera virtus se
prodit, in prosperis plerumque latens; in adversis
crescit, quæ languescit in prosperitate. Perappo-
sitione, cui inter Gentiles Morallium Doctorem vix pâ-
rem nominare licet, Seneca; *Galamitas*, ait, *virtutis
ocasio est: illos merito quis dixerit miseros, qui nimia fe-
licitate torpescunt, quos velut in mari lento tranquillitas
iners detinet.* Et alibi ejusdem, quantumlibet Genti-
lis, verissima, quid? homine Christiano profectò di-
gna vox est: *Cum videris, inquit, bonos viros
acceptosq; DEO (eadem autem & bonarum DEOq; ac-
ceptarum mulierum ratio est) laborare, sudare, per
arduum ascendere, malos autem lascivire & Voluptatibus
fluere: cogita filiorum nos modestiâ delectari, vernularum
licentiâ: illos disciplinâ tristiori contineri, horum ali au-
daciâ. Idem tibi de DEO liqueat. Bonum virum in
deliciis non habet: experitur, indurat, sibi illum
præparat.* Planè hunc in modum cum piè Defun-
cta agere DEO placuit, ut sibi eandem præpara-
ret, materiam patientiæ ceterarumque cum eâ con-
nexarum virtutum exercendarum suppeditando.
Nam

Nam à multis inde annis arthritide vagâ illam labo-
rasse, accepimus, ita tamen, ut mediocriter sese habere
infirmatum corpus videretur, suisque defungi nego-
tiis, ubi necessitas postulabat, valeret. Inde autem
ab ultimo octennio circiter adeo in valescere depre-
hensum fuit malum, ut, prostratis viribus penè om-
nibus de loco in locum conferre se agra non po-
tuerit, nisi aliorum operâ adjuta. Quæ tamen cor-
poris infirmitas nec animum prosternere valebat,
nec impedire, quò minus publico divino cultui di-
ligenter interesset. Quod dum commodè ac sine qua-
dam difficultate fieri non poterat, amore DEi fla-
grans Sacrorumque publicorum cupida curaverat,
in Templo Jacobæo peculiare sibi subsellium extrui,
quod carpento, quo vehi necessum habebat, ingre-
di, vel potius manu in illud duci posset. Quod si
verò tantas vires imbecillitas ejus sumebat, ut nesic
quidem in æde sacrâ sisti posset, domi suæ lectioni
librorum sacrorum piisque meditationibus vacabat,
contemptis mundanis, cœlestia unicè anhelans. Quin
& insomnes noctes devotis precibus consumpsit, di-
vinæ se voluntati totam totamque submittens, quic-
quid acerbitatis infligebatur, patientiâ atque con-
stantiâ plusquam muliebri perferendo.

Talem itaque vitam vixit Beata TIELCKE-
NIA in hacce mortalitate, quæ nos homunciones
variis obnoxios calibus esse docere potest, & ex quâ
christianæ in adversis rebus patientiæ capiendum
exemplum erit. Qualis autem illius fuerit exitus
ex hac miseriarum valle, quæq; eundem, post DEUM
evocantem, usâ promoverint, enarrantem audie-
mus Virum, cujus operâ & arte in extremis usâ fuit
Prænobiliss. Experientiss. atque Excellentiss. Dn GE-
ORGIUM

ORGIUM DETHARDINGIUM, Med. D. & P. P.
Celeberrimum, Fautorem, Affinem atque Col-
legam nostrum honoratissimum pariter ac con-
junctissimum, cujus ipsius sequentia sunt verba:
*Dum & ex more, & ex amore, aut si magis ex obsequio historiam
morbi, quo desideratissima Magnifici hujus urbis Consulis D TIEL-
CKII Coniux pronuper defuncta est, contexere contendo, haud in ma-
lam quis accipiet partem, si crassiores tantum lineas quasdam duxero,
uratiores quippe exarare potuisset, si adhucdum viveret D. Haber-
mannus, cui se cum morbis conflictantem concedere defuncta siveve-
rat. Hoc novi, à multis retro annis Cachexiam illam defatigasse,
& scorbutum membra adeo exsoluisse, ut ad nulum nec gressus for-
mare nec artubus suis imperare illi licuerit. Tulerantur hac acer-
ba, quia dies diem de sustinendo & patienter perferendo informare
sueverat, quae non aequè citra graves molestias mutari poterant. Asth-
matici tamen & insolentiores insultus, respirationem impediendo an-
gustiasve praecordiorum suscitando, afflictà addebat afflictionem, &
quia membrorum resolutio corpori motum non modo proficuum, sed
verè necessarium denegabat, nec ergo secretionum negotium apprime
succedere poterat, cum labantur sub pingvi otio crudiora & per pul-
mones aequè ac ventriculū aliquando rejiciebantur cum tantilla mo-
lestiarum remissione. Hac quoque Tragedia agebatur, quando die
fatalem praecedente in auxilium vocabar? Molimina excussionum
observabantur, nunc in pectore, nunc in ventriculo, nunc in inte-
stinis, nunc horsum, nunc illorsum, ast nec sufficienter satis, nec satis
constanter, cum anxia tamen, & animi & corporu inquietudine.
Componere has luctas tentavi proscribendo per viam Regiam sabur-
ram seditionem facientem. Quicquid tamen moliebar, anima
ergastuli tam fragilis pertesa ad nusum Creatoris, qui illam inclu-
serat, reliquit hoc, quo aliquando ab omni labe & fragilitate im-
muna domicilium suum posset repetere, & illo aeternum frui.
Praeserat per biduum duntaxat lectum lethiferum,
eoque tempore nil aliud quidquam meditata fuerat,
quam salutiferam analysin, Salvatori suo quam con-
stantissimè adhærens in eundemque unice confisa
ad extremum usque halitum, sicuti hanc fidem tuam,
interro-*

interrogante marito : num quid Jesum suum in corde firmiter teneret & palam clarâque voce, his promodum verbis, declaravit: *Dass Sie Jesum in threm Herzen habe/ und mit demselben so hart verbunden/dass/gleich derselbe Sie nicht lassen würde/Sie also auch Ihn/den Herrn Jesum / nicht lassen wolte.* Tantâ cum fiducia, postquam Confessionarius ipsius Ecclesiasticam ipsi benedictionem imperitus erat, inter adstantium preces, d. 18. currentis mensis Februarii, horâ 3. matutinâ, fidelissima per duodecennium, demtis paucis tantummodò septimanis, Gravissimi Consulis nostri Conjux placidè obdormivit. DEUS animam tantum æumnarum in hac vita per pessam in altera vita æternis gaudiis retocillet, faxitq; molliter ossa illius cubent. Is ipse quoque relictis, qui vel Conjugem, vel Matrem, vel Aviam Proaviamve, aut Socrum amissam deplorant, efficacissimo solatio sit, doceatqve nos omnes mori, ut ne, quando moriendum nobis est, moriamur. Ceterum, mortalitatis nostræ memores, mortuæ istud honoris habeamus, ut exuvias illius in terram hodiè recondendas pro more Christiano frequentes comitemur. Ad quod uti Vos, *CIVES!* tum piè Defunctæ virtutes, tum mœstissimi Dn. Vidui merita invitant; ita id ipsum etiam à me iterum rogamini iterumqve.

*P.P. Sub Sigillo Reſtorali Academico,
d. 28. Febr. Ao. MDCCXVI.*

Congregabimur in æde Cathedrali D. Jacobo
qvondam dicata, hora I, pomeridiana.

GUSTAV KOCH
Buchbinderei
ROSTOCK.

1
2
3
4
5
6
7
8
9
10
11
12
13
14
15
16
17
18
19
W
X
Y
Z

tiōri virtute; nobis sēpē non opī
rantibus, diriguntur: ita in matr
hendis id sēpēnumerò fieri experin
quoque verè est Fœmina Beata. Co
pe suo potiùs in statu permanere, qu
transire vota, sēpius recordata triti
quo omnem mutationem dicere p
mus. At verò aliter viltum Suprem
quo animos ita disponente, factum est
us non ambiret solùm, sed exambiret
Nobilissimus, Amplissimus, Consulti
dentissimusque, DN. JOHANNES
TIELCKE, Jctus Consummatisim
Rostochiensis Consul Gravissimus, c
cum immarcesibili nominis gloria
mus. Annuit illius voluntati Beata
bitâ Christiano ritu copulatione facer
sta sponsalia consummarentur, nup
3 Aprilis Anno 1704. solenniter celebra
in hoc secundo, de cetero verè secun
omni fortunæ lusu casibusque duris
Quanta vigerit hos inter conjuges s
parus, fidus atque sincerus amor, ni
conspectum fuisset, abunde testari
mum Vidui Consultissimi nunc affli
ciat penè enecatq; , mœror. Depra
testatum ipsi Defuncta quavis occasio
ctum, quoad usque vixerit amoris in
rus memor. Dicit alias solet, uxorem
parit, toties amoris de novo pignor
Id quidem amoris pignorum genu
conjugio, constat: attamen hunc def
pensarent, in promptu erant alia qua

Copyright 4/1999 XxyMaster GmbH www.xxymaster.com

VierFarbSelector Standard - Euroskala Offset

A
B
C
D
E
F
G
H
I
J
K
L
M
N
O
P
Q
R
S
T
U
V



rē cum T. Pomp. Attico Dn. Viduus gloriari possit,
 se nunquam cum conjugē suā in gratiam rediisse.
 Unde cuilibet conjectu difficile non est, dolorem,
 quem ex hoc habitu ille concepit, tantō majorem esse.
 Nec credo abs quōquam id ei vitio versum iri, quin
 dolendus eō magis nunc ipse sit; dum alterā jam vice
 Viduorum ingredi ordinem habet, conjugique mel-
 litissimæ ac æstumatissimæ triste funtus apparat. Ce-
 terum, ut ut eo nomine satis sese felicem æstimaret
 Beata nostra TIELKENIA, quod abs DEO omnium
 Directore dulcissimo beata conjugio esset, in quo ex
 voluntate cetera omnia suebant; haud tamen expers
 fuit crucis, quā fatis patientia atque constantia
 probarentur. Quis demum vera virtus se
 prodit, quæ in se latens; in adversis
 crescit. Per hereditate. Per appo-
 nentem Doctorem vix pā-
 mitas, ait, virtutis
 viros, qui nimia fe-
 unto tranquillitas
 milibet Genti-
 profecto di-
 bonos viros
 arum DEOq; ac-
 laborare, sudare, per
 lascivire & Voluptatibus
 modestiā delectari, vernularum
 nā tristiori contineri, horum ali au-
 tibi de DEO liqueat. Bonum virum in
 deliciis non habet; experitur, indurat, sibi illum
 preparat. Planè hunc in modum cum piè Defun-
 cta agere DEO placuit, ut sibi eandem præpara-
 ret, materiam patientiæ ceterarumque cum eā con-
 nexarum virtutum exercendarum suppeditando.
 Nam

